


rum supremo loco collocetur, & sub hoc Saturnus, sub quo Iuppiter, & deinde Mars: In alijs vero quatuor planetis totam diuersitatem esse positam. Quare breuiter ordinem iam recitatum confirmabimus. Primo quidem ex diuersitate aspectus. 2. ex velocitate & tarditate motus. 3. ex eclipsibus seu occultationibus planetarum. Hoc enim triplici medio potissimum ordo colorum ab Astronomis confirmari solet.

QUOD attinet ad diuersitatem aspectus, hoc modo argumentatur. Illud astrum est terræ vicinissimum, quod, cæteris paribus, maiorem habet diuersitatem aspectus: Atqui Luna maximam deprehensa est pati aspectus diuersitatem, deinde Mercurius, postea Venus, deinceps Sol, igitur constat primo loco collocandam esse Lunam; 2. Mercurium; 3. Venerem; 4. Solem. De reliquis vero planetis ex hac via nihil statui potest certi, cum propter nimiam a terra distantiam nullam habeant diuersitatem aspectus. Quod ut plenius intelligatur, dicenda erunt pauca de hac diuersitate aspectus. Diuersitas igitur aspectus, quam alij dicunt aspectum diuersitatis, est differentia veri, visiq; loci alicuius astri. Verus porro locus astri dicitur punctum illud circuli maioris per verticem capitis & astrum transeuntis, quod lineam rectam e centro terræ per centrum astri ad circulum illum maiorem protractam terminat: Visus vero locus syderis dicitur illud punctum eiusdem circuli maioris, quod lineam rectam ab oculo nostro per syderis centrum ad circulum illum maiorem e ductam terminat.



Exemplum.
 Sit centrum terra A. Circulus maior per vertice capitis D. & stellam transfens C D E. Locus terræ vertici D. subiectus sit B. astrum quod cumq; sit K, per cuius centrū a centro terræ ducatur linea recta A K S. item per eiusdem stellæ centrum ducatur ex B. loco terræ linea recta B K T.